





21
M



L. D. B. V.

DE

VNIVERSITATE
DELINQVENTE
EIVSQVE POENIS
DISPV TABIT
PRÆSIDE
NICOLAO HIERONYMO
GVNDLINGIO ICT.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI
A CONSILIIS INTIMIS ET ECCLESIASTICIS, IVRIVM
PROFESSORE ORDINARIO h. c. DECANO

PRIDIE NONAS NOVEMBRIS M DCC XXIV.

H. L. Q. C.

PRO PRIVILEGIIS DOCTORIS
CONSEQUENDIS
CHRISTIANVS PHILIPPVS STOLL
ZITTAV. LVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis IOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.
M DCC XXXIV.



N. A. 2
UNIVERSITATIS
ETIV. V. DEI
BASILEAE POLONIAE
NICHOLAO HIERONYMO
CANDIDIO ICL.
ERINZIMO AC TOTUM IN LIBRARIIS RECO
LICENSIBUS TUTUS ET EQUITIBVS TOTVS VNM
LAUDABVS OVNANO F. DECEN
PROTACIO. M. DCC. XIX.
T. O. P. R. E. C. S. D. C. L. O. R. I. S.
CHRISTIANA PHILIPPI STOLT
M. DCC. XIX.



INCLYTAE
REIPUBLICAE ZITTAVIENSIS

SENATVI AMPLISSIMO

ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS PRAE-
NOBILISSIMIS CONSULTISSIMIS
PRUDENTISSIMISQVE

VIRIS
CONSULIBVS
SYNDICO
PRAETORIBVS
SCABINIS
SENATORIBVS
RELIQVISQVE

DOMINIS ATQVE PATRONIS
OBSERVANTISSIME COLENDIS
DISSERTATIONEM IN AVGRALEM SVAM

DEVOTA MENTE CONSECRAT
CHRISTIANVS PHILIPPVS STOLL
ZITTAVIENSIS.





On e longinquo mihi ar-
cessendæ sunt rationes,
quæ me commouere, pu-
blice ut vos compellarem
quorum consilio ZITTA-
VIENSIVM regitur ciuitas , summoque
cum hominum amore inconuulsa perre-
fit hactenus. Numquam enim obliui-
scor , me plurima ac maxima VOBIS
debere , quorum etiam studiosissimus
semper extiti , meaque salutis funda-
menta in VESTRO potissimum fauore
ac benevolentia collocaui. Nunc vero,
quum

DEDICATION.

quum ab academiis recedo, & domum
redire cogito, eo me P A T R I A E,
quam summa cum pietate & fide semper
colui, charitas trahit, nihil ut melius,
neque laudabilius, neque honestius exi-
stimem, quam placere eiusdem P R O-
C E R I B V S, clarissimisque VIRIS, quo-
rum iudicium est rectum, bonisque pro-
batissimum. Igitur omnes vias occasio-
nesque apprehendo, vt quæ fuerit vitæ
studiorumque meorum ratio paullulum
intelligatis; cumque Doctoris honores
ambiendo in F R I D E R I C I A N A publi-
ce disputauerim, facio iam, vt, quod cer-
nitis, inaugurale specimen e cathedra ad
vos perueniat, S E N A T V S Q V E tam
sapientis ac multis nominibus cognitissi-
mi oculis iudicioque ea, qua par est,
modestia atque oseruantia exponatur.

);(2 Nec




DEDICATION.

Nec dubito, quin pro singulari bonitate
VESTRA, hoc, quidquid est, muneris se-
rena fronte ac propitia in res meas vo-
luntate sitis accepturi. Semper enim iu-
dicaui, valitum id, quod maiorem in
modum rogo, præsidium contra censuras
omnes, siue vos habeam, cuncta me ha-
biturum, que vñquam animo sum com-
plexus. Faxit igitur DEVS immortalis,
ut **RESPUBLICA**, cuius estis defensores,
VESTRIS vigiliis consistat, **VESTRA** pro-
uidentia perennet, **VESTRISQUE** officiis
crescat. Quod si fiat, **PATRES** conscri-
pti, incliti **SENATVS** augebitur splendor,
amplificabitur dignitas, atque omnium
denique **VESTRVM** sapientiam, virtutem
ac decus nulla ætas silebit, nulla posteri-
tas conticetur. Hæc Magdeburgicæ
pridie Kalendas Nouembbris ccccxxiv.

CON-





CONSPECVT DISSERTATIONIS.

- §. I. Vniuersitatum qualitates generatim recensitæ.
§. II. In definienda vniuersitatis voce dissident auctores.
§. III. Laudatur Huberus. Proponitur definitio. §. IV.
Cur tales in ciuitate magna occurrant communitates? §. V.
Sunt illæ sub imperio summe potestatis, & personæ compo-
nitæ. §. VI. Ad quod intelligendum nulla opus est fictione
ut tota illa consociatio intellecta tantum percipitur. §.
VII. Neque consensio vniuersitatis & conspiratio in unum
commento eget. §. VIII. Cur ius maioris partis in colle-
giis sit necessarium? Hobbesii argumentum non spren-
dum. §. IX. Diuinito vniuersitatum. Collegium, corpus.
§. X. Quare tres minimum in iis persone requirantur?
Obseruatio Merillii. §. XI. Priuatorum iure utuntur.
§. XII. Delinquere dicuntur. Rationes in contrarium.
§. XIII. Quibus respondeatur, simulatque ostenditur, eas
interdum vere delinquere. L. 15. §. I. ff. de dolo malo
exponitur. Hertii sententia confutatur. §. XIV. Vni-
uersitatis æque & rectricis differentia. Delictum admi-
nistratorum & Rectorum his, non vniuersitati tribuitar.

) (3

§. XV.



CONSPPECTVS DISSERTATIONIS.

§. XV. Ratio dubitandi a liberarum rerum publicarum que sui iuris sunt, exemplo defumta refellitur. Nec diuersum in Imperii ciuitatibus admittitur. §. XVI. Repentinus multitudinis motus non est motus vniuersitatis. §. XVII. Communi consilio peccantes, sive omiserint, sive commiserint, delictum vniuersitati proprium admiserint, an commune, vniuersitatem efficiunt delinquentem. §. XVIII. Delicta tractum temporis habentia interdum propter ratihabitionem, aut negligentiam toti corpori imputantur. §. XIX. XX. An collegis, omnibus recte adscribatur, quod fecerunt aliqui ex collegio, antequam in numerum venirent? Quod negatur cum adiectione. §. XXI. Singularis lex de Fabricensibus, qui pro delictis sodalium satisfacere publico obstringebantur. Plura de Fabricensibus. Observatio de militibus Romanis, quos victuris in cute punctis signabant, & scribebant. Similis de Fabricensibus adnotatio. §. XXII. Statutum multarum Italæ ciuitatum, quo proximi pagani damnum viatoribus illatum resarcire cogebantur. Bartoli color. Er. Amaya lundatur, commentum Bartoli dissiciens. §. XXIII. Cuius rationes expoliuntur. §. XXIV. Vbi plures ex vniuersitate peccant, totum systema peccasse perperam creditur. Ius maioris partis in delictis non valet. §. XXV. Repugnantia est, deliquisse vniuersos censi, nec tamen iure summo posse puniri. §. XXVI. Resumitur hoc thema & quam difficilis sit questionis solutio ostenditur. §. XXVII. Animaduerterunt hic nodos difficiles permulti, quos tamen nequitam sustulere. Demonstratur, nihil hic posse singi. Tentatur evanescere; ac demum perspicue pernicietur, facere crimen plurimorum, ne consistat unitas: eoque ple-
dun-



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

duntur, qui peccassere: ceteri non item. §. XXVIII.
XXIX. Ut aliquid molestie ferant e dissolutione sodalitatis, aut sublatiane priuilegiorum. Quod latius illustratur.
Similia Grotii: Similia disputationum. Carolus V. παραγόντος.
§. XXX. Pertinet tamen ad officium Principis, ut puniendo innocentibus quam minimum noceat. Exempla irae diuinæ acerbissima ad rem non faciunt. Nec Hobbesi simile a belli cladibus desumutum alicuius hic momenti est. §.
XXXI. Reuicitur distinctio inter verum delictum & improprium; eiusque inconcinnitas exponitur. §. XXXI.
In uniuersitate delinquente iure summo omnes possunt puniri. §. XXXII. Inscriptio Nepesinæ ciuitatis. Dn. de Bünau laudatur. §. XXXIII. Quod tamen dissuadet ciuilis prudentia. §. XXXIV. XXXV. Iudicium de militum Romanorum decimatione, ac sortitione noxiorum.
Boclerus caute & sapienter hac in re incedit. Fustuarium.
Punienda sceleris capita. §. XXXVI. Principes crudeles non tam fortes sunt, quem timidi. §. XXXVII. Non possunt innoxii etiam multari pecunia. §. XXXVIII. Pontifices Romani nusquam negarunt, uniuersitates posse delinquere. Gœddei sphalmata. §. XXXIX. Nec Papa ob delictum paræcianos omnes unquam puniuit vere: utut sedem episcopalem ab huiusmodi ciuitatibus, que Præsum suum interfecere, abstulit. Visitatores Episcopi. De Scyllacensi urbe aliqua. §. XL. Comparatio coercitionis Scyllacenæ cum animaduersione Romanorum in receptam Capuam. §. XLI. Delinquentibus extinctis nulla in successores locum habet poena. Quod luculentius deducitur. §.
XLII. Nec tamen semel iuste punita ciuitas iure suo recuperat amissa, et si perire omnes, qui criminis nomen dedere.

Quid-



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

Quidquid accipit, nouum est. §. XLIII. Corpus vniuersitatis extindum, quanquam reuiniscit, non est illud antiquum. Cnei Pisonis dictum de Atheniensibus expenditur. §. XLIV. Capua noui beneficio recreata. Locus Velleii Paternuli explicatur. §. XLV. Spartanus a Reinesi arguitis de Bulentis Alexandrinæ cinitatis defensus. §. XLVI. Iniuste damnata vniuersitas, si res philosophice pensaretur, nihil amittit, nec parendi necessitate constringitur. Sed est tamen consultius, ut superioris opem implore, aut, si hic deficit, ad preces configuiat. Restitutio ex capite iustitiae omnia reddit. §. XLVII. Non autem illa, que fit ex benignitate. §. XLVIII. Nisi plenissima fuerit, quod probandum: eoque probato omnia itidem recipiuntur; etiam actiones in personam a fisco remissee. Quod limitatur, si princeps ciuitati sui iuris debitum remisit. De iure questio auferendo nonnulla. §. XLIX. An vniuersitas delinquens per Syndicu[m] sese iure defendat? Quod adfirmatur.

Conclusio.



DE



DE
DELINQVENTE VNI-
VERSITATE EIVSQVE
POENIS.

§. I.



On est demirandum , delin-
quere Vniuersitates & puniri , quæ na-
scuntur , crescunt , ad pueritiam perue-
niunt , adolescunt , florent , ægrotant ,
senescunt , moriuntur : quas qualitates
optime depinxit Petrus Faber , Vir do-
ctissimus , atque exemplis illustravit Se-
mestrium Lib. I. cap. IX. Itaque operæ pretium videtur , ut
delicta earum paullo accuratius circumspiciamus , & modum
peccandi , & poenas foederatae malitiæ conuenientes , cum &
hic occurrant memoratu digna .

A 2

§. II.

§. II.

Quod ut feliciter cedat, examinabiinus illico, quid vocetur & sit *VNIVERSITAS*? Valde enim hic certant doctores, quandoquidem metaphorica adserunt nonnulli, aliqui aliena admiscent, multi inepta cibunt, quidam vero ad veritatem proprius accedunt.

§. III.

Ulricus Huberus, tum in *positionibus*, tum *prelectionibus* ad ff. quod cuiusque *uniuersitatis nomine*, tum etiam in *Iure Publico uniuersali cap. X. §. 2.* diligentem huic rei operam nauauit, a quo dissentiat licet unusquis, non erit tamen multum, quod ipsius officiat luminibus. Nos generatim *Uniuerstatem multitudinem dicimus utilitatis causa certo regiminis ordine, vel proprio consensu, vel summae potestatis permisso in perpetuum consociatam.* Et eo autem pacto nec liberas Respublicas, quae sui iuris sunt, excludimus, nec ullum bene ordinatum corpus collegiumque: quamquam *hoc loco illas dantaxat considerabimus, quae summo imperio subsunt, eoque nec familia videntur, nec Respublica.*

§. IV.

Neque enim ciuitas fere inuenitur magna, cuius subiecti non sint distributi in certos ordines simulatque coniuncti, quo summo imperio regantur commodius: immo sepe necesse est, ut ita conscientur, quo commune bonum, quod imperantes ac ciuites animo complectuntur, consequantur secundum fines suos *vniuersi*: quod secus est in multitudine, quae nullo iure continetur.

§. V.

Vnde deducas, *vniuersitates constitui eorum potissimum consensu, quorum interest; hacque ratione in vnum coalescere,*



scere, ut idem intelligere & velle censeantur ; atque etiam reuera velint , si id bene explicetur ; non exclusa interea summæ potestatis auctoritate , quam ciues semper ante oculos debent habere constitutam. Neque enim patitur societatis ciuilis indoles, vt, vnde commodum, incommodumue redundare in illam insigne potest, priuato ausu fuscipiatur : præsertim, cum homines sint, qui coeunt, affectibus s̄pē agitati atque a vitiorum labo nunquam penitus immunes. Ex quo fit, ut talium communitatum coniunctio firmior habeatur, & licita; indeque vnitas resultet, cuius ratione personæ mysticæ vulgo audiunt, ac morales compositæque dicuntur. Quod tanto confidentius faciunt iurisconsulti , cum Florentinus lib. VIII. insit. HAEREDITATEM PERSONAE vice fungi adseueret, sicuti MUNICIPIVM, & DECVRIA & societas. l. 22. ff. de fideiussoribus.

§. VI.

Sed inde vero vix opus est, ut per fictionem istud fieri statuatur, cœu facit Dadinus Alteserra de fictionibus iuris lib. I. cap. XLIX. Vix enim ad fictiones descendenduni, vbi clare intelliguntur omnia, &, quomodo vnitas generetur, patefecit: nimirum, ut multi homines considerentur, tanquam unus homo ob conspirationem voluntatum, quæ omnium actionum humanarum principium constituunt: parumque ad rem facit, mera tamen mentis distinctione a municipib⁹ & ciuib⁹ municipium segregari, & iterum in unum conflari, nec sensibus usurpari, sed intellectu solo percipi. Illico enim infirmitas huius argumentationis in oculos insilit, quando perpenditur, futurum sic, ut res incorporales omnes sint commentitiae, nihilque veri contineant; sed corporales tale elogium tantum ferant, quæ sensu notantur, & per adspe-

A 3

ctum,



ctum, auditum, tactum, odoratum, gustatum, tanquam per satellites, animo offeruntur: quasi vero intellectus pro sale corpori sit, ne putrefacat, aut, quod ille operatur, totum imaginarium & ex ingenio compositum credi debeat, aut saltem verum, quodque rapsè existit, desinat, quam primum mens suo officio fungi incipit. Quod sane absolum est, omnesque demonstrationes euertit, quæ sine mentis abstractione non sunt: utrum interea veritatem in luce constituunt, vel ipfissimæ veritates sunt. Ceterum id facile permetto, vniuersitates certo sensu artificiales recte appellari, quia pactis coagmentantur, quibus Hobbesius non male *artificii* nomen tribuit, quorum textura non tam a natura, quam hominum consensione & voluntatum catholicò concentu ortum trahit: cui cogitata & vota omnium communia respondent.

§. VII.

Noli adfirmes: vix tamen intelligi, qua ratione consentiant vniuersi, cum id rarissime contingat, vt ne dissenniat vnu: ad id vero, quod vix centesimo euenit anno, nec ciuilis prudantiæ auctores, nec iuris conditores respicere: adeoque hac parte minimum fictionem fore admittendam. Nego hoc rursum. Fictio enim aliquid ponit, quod non est. Hic nihil ponitur, nec fingitur, sed reuera in actibus rerum deprehenditur. Nam cum talis vniuersitas fine motu consistere nequeat, sed velle, & consentire cupiat, immo aliquando dissentire desideret, & vere saepius dissentiat; consequitur certe, vt modum volendi, aut nolendi possiblē elegant vniuersi, qui in eo versatur, vt, quod maior pars decrevit, omnium decretum non solum videatur, sed & iidem pro sua voluntate haberentur flagitent, & sic contra.



tra. Quod autem enixe cupiunt, non sane singunt; quodque reapse nolunt, nequiequam se nolle ex ingenio co-miniscuntur: nisi quidem nolle & velle ad non existentia referas, aut, dum cupis, fingere te credas, aut, dum discupis, id fabulari ac somniare appellites; aut saltem animorum motibus nusquam firmiter consistentibus adscribas.

§. VIII.

Quibus præmissis sine negotio nunc percipitur, quare ius maioris partis ex regula omnibus in collegiis (*a*) obtineat. Neque enim ullum fere ex coniunctione sua commodum sentirent unquam, si unanimum suffragiorum symphoniam exspectarent sociati. Quare ita debent cogitare omnino, nisi inutilem reddere & immobilem totius universitatis machinam & abludere a scopo præoptent, quem habuere sibi præfixum, cum coirent, nempe, ut vellent, &, quæ sibi utilia, decernerent, &c, quæ inutilia, ea ratione auerterent. Nec vilipendendum proslus Hobbesii (*b*) argumentum, qui, dum suffragia serunt collegii membra ac dissentiant, singulos singulis, scribit, contradicere; non autem ceteris, quorum accessione hæc, ista pars reddatur numerosior, quibus interea nemo contrait; adeoque efficitur, ut, dum pars suffragia nihil concludant, cetera vincant proque totius personæ ex pluribus hominibus constantis voluntate habeantur.

(*a*) Est & ubi inter priuatos obtinet, nempe, ut ad universos referatur, quod sit per maiorem partem. Adulit I. Gothonfredus ad R. I. 160. §. 1. exempla idque in obstetricibus ventre in insipientibus obseruatum Paulus Ist. refert L. II. sent. tit. 24. §. 8.

(*b*) In Leviathane cap. XVI. in fin.



tur. Qui propositum coeuntium hoc loco non ad nittunt,
& Grotium *Lib. II. cap. 5. §. 17.* temere reprehendunt, in
λογοτεχνιαν incident. Vana enim ratio est, collegia sæpe
superiorum & magistratum maioris partis decreto abscisse
flare cogi, et si tale animi propositum non habuissent ipsimet.
Sat enim est, quod ita debuissent cogitare, aut ex post fa-
cto eo modo calculos subducere, negotiorum ciuilium na-
tura suadente, obstringantur, aut etiam populo eligenti ma-
gistratus alia mens adtribui nequeat, si res indipisci exitum,
nec actibus ille suis inuehore moram, aut denique tolli vni-
uersitatem ac disturbari omnia incondite concupiscat.

§. IX.

Non est nostrum, lustrare & suis nominibus nuncupare
vniuersitates omnes, cum earum inire numerum nec facile
fit, nec necessarium. Sufficiat, inueniri maiores, ut sunt
prouinciae, oppida, pagi, academie, ecclesie; nec deesse
minores, quales collegia opificium, mercatorum & similia
corpora videntur, quorum varia apud Romanos, plura a-
pud nos occurruunt: quamuis non nesciam, esse, qui colle-
gia a corporibus distinguant, atque hæc ab istis. Sed exi-
guia huius disceptationis utilitas videtur; isque vincet, qui
Latino sermoni conuenienter loquitur; *Leuius* autem cor-
pus, collegium, ordinem promiscue sæpe *Iepius* usurpat:
inque eo conueniunt omnes, plures homines collegium con-
stituere atque vniuersitatem, quibus ius coeundi a summa
potestate est concessum: cetera illicita sunt, nec iuris sensu
pro collegiis corporibusque habentur.

§. X.

Plures vero dum nominantur, palam sit, minimum re-
quiri tres. Id non solum iuri Romano congruit, verum
etiam



Etiam naturæ rei, quam hoc loco spectamus, penitus conuenit. Etsi namque pluralis locutio duorum numero in causa testimonij ferendi continetur *l. 12. ff. de testibus*; nemo tamen non videt, propterea hic requiri tres (*a*) minimum, ut unus in impari sententiarum controversia suffragia dirimat: fierique vix potest, ut sententiæ ponderentur; eoque rectius illæ numerantur: ut huc Plinius *L. II. ep. 12.* indigitatur, perfectionem mente depingens, quæ nec in Romuli fæce inuenitur, nec propter naturalem hominum superbiam sapienter speratur. Id vero quod ex accidenti venit, nempe ut seruetur scandalium capite in uno, nihil ad rem facit, nec regulæ loco statuendum.

§. XI.

Ergo igitur illi plures in unum per maiorem suffragiorum partem conuenientes decernunt, & paciscuntur, transigunt, contrahunt; modo reuera consensere plures, aut in corporum utilitatem aliquid deprehendatur versum; inque plurimis iure priuatorum vtuntur, vel omnibus ciuibus communii, vel singulari. Quin neque res ipsis desunt, neque priuilegia: habent arcam communem, sigillum sâpe, Syndicum: accipiunt & adcent a tempore Neron & Hadriani haereditates, legata adipiscuntur, possident quoque, iurant, iuriurandum deferunt, cetera. Quod autem in quibusdam causis duas suffragantium requirantur tertiae præsentes, inque pagis

B

omni-

(a) Habet nonnulla Edmundus Merillius controversiam hanc illustrantia *lib. I. obseruat. cap. XXIV.* ubi simul ex Semio ad *lib. III. Aeneides Virgilianæ* obseruat: *Quirites imitari hac parte Græcos, quorū pluralis numerus inciperet a tribus* cum vicissim duos indicat numerus dualis.



omnium & singulorum consensus & subscriptio aliaque desiderentur alicubi, a iure arbitrario merito deriuatur: quod sicuti est infinitum; ita vix censemus opera pretium, inhætere iis longius, præsertim cum sine hac contemplatione propositum adsequi nostrum queamus.

§. XII.

Nostrum enim primarium thema eo collineat: an ciuitates, pagi, uno verbo vniuersitates delinquent, ac propter delictum suum recte puniantur? Neque enim dubia desunt, quare id negandum videatur. Nam cum animo delinquatur ac consequenter corpore, & ciuitas autem, municipium, vniuersitas nec animum habeat, nec corpus, sed merum juris nomen sit; neque sensibus occurrat, sed intellectu tantum percipiatur, & mystica persona sit; non inepte videtur concludendum: vniuersitatem non delinquere igitur: idque expressis verbis prodere creditur Vlpianus l. 15. §. 1. ff. de dolo malo. **SED AN in municipes de dolo detur actio?** dubitatur. Et **pu-
to ex suo quidem dolo non posse dari:** quid enim municipes do-
lo facere possunt? Addunt, nec Pontifices existimasse, vniuer-
sitatem peccare, eoque diris illam deuouendam negasse.

§. XIII.

Sed salua res est, si pensitetur probe, quid fiat, quando municipium peccat, aut vniuersitas alia leges transilit. Sæpe enim vnu venit, vt 1) signo dato conueniant omnes, aut 2) plurimi præsentes consilio animo patrandum ali-
quid per maiora decernant. Primo etenim casu vere delin-
quit tota vniuersitas, ac vere quoque de dolo ac metu iniusto
tenetur: quod nec Vlpianus negat l. 9. §. 1. ff. quod met. cau-
sa. Vnde cum is inficiatur, municipes dolum committere
non posse, diuersum sane thema mente depingit, idque circo
expo-



exponendus est aliter. Hertius (a) inter municipes & municipium distinguit, inter vniuersos & vniuersitatem. Quod ita intelligo. Quemadmodum enim quod vniuersorum, non est singulis proprium ; nec, quod ab vniuersis debetur, singuli debent ; nec, quod vniuersitati, idem & singulis debetur ; sic quod municipium dolo fecit, nequaquam ad singulos municipes pertinet, ita vt vnum solus debeat deuorare, quod intruere ceteri, aut vniuersi. Quilibet namque e suo facto obligatur. Quod Vlpianus ipse agnoscit, dum municipes obligari contendit, si quid ex dolo delinquentium administratorum ad ipsos peruenit. Quæ obseruatio postrema efficit, ne penitus consentiam Hertio. Magis quippe est, vt de administratoribus verba faciat lurisconsultus, quibus redditum, pecuniæ publicæ & ærarii cura erat demandata, qui interea in contrahendo dolum admittere facile poterant, atque hic non est tribuendus municipibus ; sed decurionibus potius, in quos actio de dolo locum habuit vtique.

§. XIV.

Nec enim vnius generis sunt vniuersitates. In quibusdam *& qua* inuenitur societas omnesque *& quali* iure ac facultate fruuntur. In aliis *redix* observatur, quarum duumviri & decuriones, magistri ac reliqui adfessores faciem totius vniuersitatis ferunt, vel ad tempus, vel toto vita tempore, vel etiam hæreditario iure. Quæ omnia solicite sunt ponderanda, tum, si contrahatur cum vniuersitatibus, tum, si Syndicus constituendus, tum denique, si de delictis earum sit iudicandum accurate. Vix enim recte imputabitur populo

B 2

cri-

(a) In dissert. de pluribus hominibus unam personam sustinentibus
Seet. II. §. VIII.



crimen, quod ab eo ortum non habuit, sed aliis, qui municipio cum auctoritate præsunt.

§. XV.

Ac caue sis pronunties : in civitatibus, quæ sui iuris sunt, subiectos ob Principum suorum deliria & Consulum Senatorumque facinora bello non peti iniuste ; proinde idem adseuerandum videri in municipibus, quibus itidem delicta rectorum & administratorum suorum neutiquam tribuerentur iniuste. Maximum enim hic animaduertitur discrimin. Sicuti namque vox Principis vox populi est ; inque eius voluntate ceterorum voluntates omnes insunt ; deque eo publice constat ; ita mirum videri vix debet, si, ubi bellum ingruit, innocentes ac noxii iuxta cadant. Quis enim distinguat hosce ab alteris ? Quis cum perturbata omnia, clare perspiciat, quantum peccarint singuli ? quo usque approbauerint Principis sui perniciosa consilia ? Quis adsenserit illi ? Quis adulatus sit ? Quis incitauerit stimulolque addiderit furenti ? Quid cuiusque gladius egerit ? Qui sensus fuerit Caii, Meuii, Titii ? At in pace *causa* & merita spectantur. Hic inquire & definiri ut plurimum potest, qui auctor & architectus fuerit mali perpetrati ? Vniuersitates vero & municipia, quoad a nobis considerantur, sub regimine superioris in pace agunt, nulla belli formidine circumstrepente : quorum rectores, cum auctoritate licet imperent, & expediant, faciuntue omnia populi nomine ; vix tamen hunc repræsentabunt, cum a muneris ratione desciscunt, cum extra orbitam recti profiliunt, & aliquid iubent, omittuntue a Principis proposito & iussis abludens : nisi quidem ipsi municipes se sociauerint iniuste agentibus, confirmentque inique gesta, ea que laudent, ac peruerse incedentibus applaudant. Tum enim



nim iterum vere ac proprie delinquent Achiui ; nec diuersum de civitatibus imperii statuendum, sicuti *Knipschidius*
 (a) bcne animaduertit.

§. XVI.

Sed finge, de improviso globum inconditæ multitudinis sine prævia deliberatione ac decreto in scelus aliquod protrumpere, ac vel maiorem partem, vel omnes fere ex vniuersitate flagitio suo implicare, quæstio erit, an vniuersitas delinquisse sit credenda ? Et non putat Vlpianus l. 15. §. 2. ff. quod vi aut clam. Nequaquam enim communi omnes consilio peccarunt ; sed repentino motu consurrexere, alter alterum sequendo, ceu grus gruem ac coruus coruum ; eoque perperam quis eos tanquam vnam personam consideraret, cum fundamentum unitatis desit : vtut faces ac saxa volarunt in que criminis societatem paulatim pertacti sunt plurimi. Obligatur quisque per se ; idque in solidum, deficiant reliqui, an præsto sint ? quia suo consilio flagitium commisere singuli ; cum vicissim ceteri, qui se a peccato tenuere, nihil noxæ contrahant, sed impeccabiles maneant hac parte.

§. XVII.

Vbi vero communi consilio præcedente lineas transiliuere vniuersti, committant, an omittant ; cum sane meritum oritur commune nec a contracta labore corpus totum liberatur ; quandoquidem vnum habuisse πρόσωπον cuncti censemur, eorumque maleficium neque in particulæ diuidi, neque singulis tribui seorsum potest ; delictum vniuersitati (a) proprium fuerit,

B 3

rit,

(a) De Iur. ac priuile. Ciuitat. imp. L. V. c. 7.

(a) Doctores hanc distinctionem excogitarunt quoniam deprehenderant,



rit, an aliud a quocunque homine singulari patrari aptum, qualia sunt, homicidium, vis ac metus iniuste illatus. Nec scio, an Mynsingerus (b) rem tetigerit acu, quando flagitia postrema pro flagitiis vniuersitatis agnoscere detrectat, quia vim inferre, hominem interficere, insultare aliis, delicta forrent, quæ omnibus a mortalibus possent admitti. Potius ille contra solem loquitur, ipsisque legibus, quibus excitandis alioquin perdite deditus est, obstrepit, ceu ostendimus ex l. 9. §. 1. ff. quod met. causa: cui authenticam item nulla communitas C. de episcopis & clericis merito adiicimus.

§. XVIII.

Id vero plus habet rationis, quod obseruat Lauterbachius in dissert. de Syndicis §. LXII. euenire aliquando, in que primis in seditionibus, coniurationibus, caussis fractæ pacis publicæ, quæ sunt crimina temporis tractum secum plenrumque ferentia, vt, quamvis consulta ratione ac conuocata multitudine tam enorme facinus non suscipiatur, istud tamen vniuersis ac toti corpori & Senatui quoque adhæreat, qui non impediunt nefas, quod impedire possunt; aut etiam ratum habent ex post facto: cum ratum habere in maleficiis præcipue sit mandare, ac non impedire ratum habere. (c) Perinde

derant, militum delicta in propria & communia separari l. 2.
§ 6. ff. de re militari. Quod & ad ecclesiasticorum delicta obseruatur traductum. Hoc loco vero ista differentia ne pili quidem est facienda; cum de poena scelerum sermo sit: atque inficere dicatur, cetera crimina vniuersitatum manere impunita, nisi statutorum suorum limites migrauerint. Quod est prorsus illiberale.

(b) Cent. IV. Obseruat. 78. n.s.

(c) v. I. Gothofredus ad l. 152. pr. de R. I.



rinde enim est, ac si cogitarent dicerentque : ne sic quidem male : fiat voluntas populi. Idque est, quod Rectoribus Werthensis ciuitatis ad Danubium obiecere Catholici furorem plebis remediis sat validis neutquam coercentibus : vtut permulta ex facto & iure in contrarium adulere civitatis Patroni ac Defensores, quibus perpensis absoluenda potius illa, quam condemnanda fuisset. In quibus illud erat cum maxime, quod reprimendo furori impares fuissent ; disloquentiamque suam ipso facto ostendissent.

§. XIX.

Ac sicuti vero delicta singulorum absolute in Magistratum reiici nequeunt ; ita nec peccata, quorum auctores noti sunt, collegis aut eiusdem communitatis sodalibus recte imputantur, nisi quidem, ceu de ciuitatibus commonefecimus Lectorem, ipsimet concurrant, eorumque consensus & voluntas voluntati peccantium agglutinetur, dum vel non prohibent pro virili, vel ignave ignorant, quæ a ceteris perpetrantur, aut, quæ perpetrata iam sunt, ipso facto continuent.

§. XX.

Quamobrem iniquum prorsus habendum, si, qui nondum in Decurionum numero fuerunt, de seniorum, vel antecessorum suorum fraudulenta administratione & delictis respondere cogantur. Neque enim illi Antecessorum suorum heredes sunt, nec, si essent, in delicta eorum succederent, dolumque participarent. Quin vix simile vero videtur, noue electis statim precedentium Decurionum, Duumuirorum, item Consulum ac Senatorum gesta innotuisse, vt qui in bona fide sunt, atque ordinis totius postumi, quibus non omnia illico excutere scrinia permisum : sic, vt multa ignorent innocentissime, quæ forte contra leges & pacta a sui corporis hominibus



nibus antea sunt commissa. Aliud foret, si eo in sodalitio-
tum temporis vixissent, cum criminis scie obstrinxere collegæ,
quorum actiones a lege declinantes obseruare & potuissent
& debuissent ; vel illi denique ex postfacto antecessorum &
collegarum suorum illaudabile facinus sensu tabellaque de-
prehendissent. Tum enim iis aliquid malitiæ, aut talitem cul-
pæ haud temere impingeretur, si tacerent, & facta antecedentia,
vel præsentium administratorum nullo iuris colori in-
nixa simili perfidia approbantes continuarent. Quæ circum-
spectiones sicuti non sunt negligenda ; ita inclytum Ictorum
in Fridericana ordinem respondisse recordor : iniuriam factam
Senatoribus celeberrimæ cuiusdam ciuitatis maritimæ, quos
Princeps carceri censuit includendos, quia ab eorum colle-
gis & antecessoribus non sit petita renouatio iuris tollendi
vectigal, nec pensio ex contractu soluta die condicto : qui
interea ad unum omnes illo temporis interuallo, quo omit-
tendo peccasse Senatus dicebatur, illum in ordinem nondum
erant cooptati, sed post longam intercapidinem per varios
deum gradus ad seniorum functiones sunt electi. Non
succurrit iam, qua ratione illis ex malis emiserint oppressi :
etsi probe teneo, inauditio fere exemplo ab illis penitentem
damni e propriis loculis suis requisitam ac multam insu-
per, defensionibus eorum posthabitis, dictatam.

§. XXI.

Quod sane intolerabilius multo, magisque παρεύδοξον cen-
seri debet, quam quod de fabricensium collegio in codice
Iustinianeo animaduertimus ; qui ex arca communis cogi-
bantur rependere, quod sodalium unus alterue de materia &
armis, quæ fabricabant, furto subtraxit, aut vendidit, aut ali-
enas in oras contra fas transuexit. Ipsa quippe l. 5. C. de fa-
bricen-



bricensibus perspicue indicat, quare Theodosius cum Valentianio ea ratione edixerint. Iure, inquit, prouisum est, Fabricenses artibus propriis inseruire: ut exhaustis laboribus immorentur cum subole professioni, cui nati sunt. Denique quod ab VNO committitur id TOTIVS delinquitur periculo NUMERI; vi constricti nominationibus suis, sociorum actibus quandam speculam gerant, & VNIVS DAMNUM ad OMNIVM transit dispendium. Vniuersi itaque veluti in corpore unius formae, unius decotionis, si itares tulerit, respondere cogentur. Et aliunde vero innotescit, esse hanc legem decerptam ex Nouellis Theodosii & Valentini, quas emendatius edidit Petrus Pithœus recudique curauit Cunradus Rittershusius: unde simul patefit, qua de caussa id placuerit Imperatoribus. Expediebat namque Reipublicæ, ut ea materia fidliter custodiretur a collegio ὀπλοποιῶντων, quæ rara erat quodammodo; cum ferrum optimum & aciarium parcus inueniretur, si excipiatur Calybum terra iuxta Paphlagoniam, Hispania, Noricum, cetera, de quibus Salmasius adeundus in exercit. ad Solinum pag. 703. & Basilius Cæsareæ in Cappadocia Episcopus epist. 277. Vnde nominari, qui manciparentur fabricæ, a ceteris sodalibus debebant, ab hac vitæ conditione recedere cum subole prohibiti. Ferrum vero a prouincialibus illis præbebatur, sicuti & carbones: sitque nunc palam, quare totus numerus deliquisse censeretur, et si unus solus ex numero a fide defecit. Considerabantur quippe tanquam corpus militare, cuius primicerius cum ceteris prouideret, ne quid detrimenti fiscus caperet, aut fabricensis alio elaberetur. Hinc illis, tanquam tironibus, (a) nota

C inusta,

(a) Ignavi sunt rerum Romanarum, quibus peregrinum videtur
victu-



inusta, ut, sicubi latitarent, aut fugitiui essent, illico dignoscerentur. Quæ indicio sunt peculiares rationes Romanis Principibus sedisse, ob quas tanquam singulares personas no-
luerint eos spectari, totumque collegium ad serendum dis-
pendium obstrinxerint. Sed erat vero damni huius pensatio
nequaquam pœna proprie dicta : et si vnius alteriusue per-
uersum facinus redundauit in sodales, pondereque suo pressit
omnes. Cumque hoc penitus sit singulare & ad exceptio-
nes pertineat rarissimas, per se intelligitur, non id esse ad
alias caussas, inuitis legibus, trahendum præsertim, quando
bene perpenditur, quod hac in nouella Theodosii & Valen-
tiniani XLI. sequitur : fecisse Imperatores, ut Fabricensibus
fine testamento & hæredibus diem obeuntibus succederet
collegium, ne de duritate saepe nominati oneris querendi caussa
foret, sicque incommoda commodis temperarentur.

§. XXII.

Cuius moderationis exemplum si occurreret in statuto,
quo variae Italæ regiones ac ciuitates vtuntur, quodque
Castrensis, Menochius, Sardus ac Panormitanus indicant, non
ha-

vieturis in cute punctis milites signari ac scribi. Saltē non
legerunt isti Vegetum lib. I. cap. 8. & L. II. cap. 5. ut præ-
teream sanctorum patrum loca. Ambrosii, Chrysostomi,
Augustini, quæ in medium tulit Jacobus Gothofredus in Com-
ment. ad Cod. Theod. tit. de Fabricensibus l. 4. Tom. III. p.
528. Nec Salmasius eius rei est oblitus de re militari libro,
nec Lipsius, nec Naudens in suis hac de materia scriptis : ita
ut admodum imperiti videantur, qui milites haec ratione signa-
tos vel seruilem in modum, vel animalium more tractari cla-
mitant. Est hæc consuetudo admodum venusta, nec inutilis,

(6) Com-



habuisset forte Franciscus Amaya (*b*) Iurilconsultus Hispanus sat argumenti, quare tot telis istud crederet oppugnandum. Cauetur enim eo, vt, si quid damni fecerit viator, proxime PAGANI id resarciant illi. Sed sunt eius rationes neutiquam spernendæ, quibus peruvincere conatur, naturali hunc morem æquitati repugnare, vt, licet nulla amissionis culpa, aut malitiosum consilium paganis adhæreret; nihilominus tamen illi, tanquam si nefas contraxissent, ad pensandum damnum obligarentur. Nec iuuat, vtilitate publica hostiri, quod certo modo acerbum videatur. Sat est, trahere hoc exemplum multum ex iniquo, dum, quo impediri a paganis nequit, ipsis nihilominus imputatur: iisque criminis commissi pœnam terre coguntur, qui nihil commeruere: & damni vero restitutio meritum præponit. Noli obducas, damnum resarcire non significare pœnas luere. Scio hoc, siquidem noxia sit facta ab illis, qui istam coguntur sarcire. At nostri pagani fecerunt nequicquam; nec aliquid itidem neglexere, quod in eorum officio fuisset. Itaque pœnæ loco erat, quod ab illis exigebat, vt ut corium non adtingebat, nec capiti pœna in eos, qui nihil fecere, constituta. Id enim quamuis atrocius foret, vix tamen & alterum iniquissima acerbitate caret.

§. XXIII.

Igitur summatim dicam, in illis consistere pœnām oportuisse, a quibus orta est culpa, seu malum: a paganis nihil est ortum: non igitur ad rependendum intertrimenti suis-

C 2

sent

(*b*) Comment. in Lib. X. Cod. Tit. XXXI, l. 15. p. 260. n. 27. ubi magous auctorum numerus occurrit, qui hunc morem Italicarum civitatum referunt, ac partim defendunt.



sent illi obstringendi. Bartoli effugium dubia hoc loco occurſantia non tollit, quando is morem hunc ea de cauſa ab improbitate vindicari facile ſibi persuadet, quod, vbi ratio statuti obſeruatur prægnans, iniqutias vanefcat. Quippe altera ratio multo fane firmitor est, innoxios videri absoluerendos, nec ullo modo plectendos, criminalem animo, an ciuillem poenam mente depingas: præcipue ſi ſumatur, nec omnes in viii viatori inferendam conſpiraffe, nec vnum, nec plures e pago aliquid ei ſurripiendum ſtatuiffe, nec, vt itinerarium ſecuritatem præſtarent, impoſitum illis tuſſe vñquam & vñquam. Vnde concludendum, omne hic exulaffe meritum, ex quo vel damno potuſſent affici, vel poenis coerceri.

§. XXIV.

In ceteris, quæ contemplati ſumus, thematibus ſaltem aliquid meriti deprehenditur. Nam quæ vniuersitas in delictum conſpirat, aut ratum habet ex poſt facto, aut aliquid negligit, illa ſane nefas contrahit. Quod ſi aliqui ſint, aut etiam plures ex illa, qui moliantur facinus & perpetrent; tum quidem veri ſpecie non pro rorſus deſtituuntur auctores, qui totum *σύσημα* cenſent peccare: quod vniuersitas alioquin habetur pro vna & composita perſona. Sed rectius calculos inuenit, qui & co pacto crimen a toto corpore auertunt; quandoquidem vnitas illa ex foederata conſociatione profluuit: quæ interea hac parte neutiquam reperitur, cum non ſint co fine coniuncti vniuersi, flagitiis ut operam dent, aut de plurium delictis, quæ nunquam approbauerere, repondeant, ſed ut commoda corporis pro virili promoueant, & incommoda, quoad licet amoueant.

§. XXV.

Ex quo perſpicue conſat, Titium Iurisconsultum Lipsiensem



ensem acutissimum ire reprehendisse Zahnum *ichnographia*
municipalis scriptorem, existimantem, totam vniuersitatem
deliquisse, in qua maior pars in scelus transcurrit. Dicitur
hoc, sed dum ipsemet deinde de pœna corporis delinquentis
mentem aperit, innoxios iterum excipit, qui vel contraiuere
ausibus municipum iniustis, vel vi metuque compulsi manus
demum dedere victas. Quod satis probat, pœnas tenere su-
os auctores, nec ius maioris partis hac in caussa vñquam de-
bere attendi.

§. XXVI.

Vbi enim delictum, ibi pœna: vbi nulla pœna, ibi etiam
perperam singitur delictum & contra. Quocirca etsi permit-
titur, culpam & dolum contrahere vniuersitates; est tamen
ille dilucide demonstrandus. Maiora suffragia in criminibus
pro omnium voluntate haberi minime possunt; quamlibet
& hoc demus, præsumptionem militare contra omnes, nisi in-
nocentiam suam euidentibus argumentis signisque compon-
strent. Sed fac probasse aliquos, immo multos, extra noxi-
am se fuisse constitutos, num peccauit vniuersitas? Et cer-
tum habeo, solutionem quæstionis huius non adeo esse faci-
lem, ac primo obtutu videtur. Neque enim hic vñitas cerni-
tur, quæ alioquin facit, vt communitas individua censatur
persona. Commonesecimus dubitantes iam dum, nullam
hac parte delictorum societatem offendit, ob quæ patranda
vix certe in vnum sese collegere, de quibus etiam primo in
ortu nunquam cogitarunt; eoque fieri nequit, vt ius maio-
ris partis vniuersa & singula membra vel expresse, vel tacite
approbasse hac in caussa credantur. Vnitate vero hac mo-
rali cessante numerus oritur, eoque pacto non vnum πρόσωπον,
sed plura obseruantur, quorum vnumquodque luat, quod

C 3

fecit



fecit commeruitque. Quid igitur respondebimus?

§. XXVII.

Non diffiteor, animaduertisse tum Philosophos, tum Jurisconsultos difficiles hosce nodos; eamque ob rem pœnæ subiiciendos, qui nihil admisere mali, sine circumitione negarunt omnes: quamquam interea innumera prostant exempla, vbi punita sunt talia corpora, ac priuilegiis exuta, redactaque ad incitas. Verum cum legibus stemus atque argumentis certemus, sola exempla ambiguum neutquam thema resoluent. Itaque dicendum forte, singi hic vnitatem: quali fictione nostro iudicio minime erat opus, quando de numero suffragiorum maiori in collegiis, sodalitiis, ac municipiis prævalente verba fecimus eumque contextum ex facto coitionis potius, quam Iuris peritorum commento intulimus. Neque adhuc sententiam mutamus: præsertim, si penitemus, dissentire neminem posse, quin in negotiis ciuilibus & communibus numerus suffragantium minor vincatur a maiori. At iam de crimine sermo est. Quis singat delictum, & factum singulis nocium? Quare statuas malim, maiorem corporis partem contagio peccati inueniri infectam; aliquos autem integros mansisse scelerisque puros: ac proinde consistere iam collegium ac communitatem non posse, quoniam plures a primo fine desciscentes in deuia venere. Sicuti vero vnanimi & prono in legum obseruationem & bonum ordinem consensu stabilitatem accepit vniuersitas, & propterea a summo ciuitatis principe est firmata, quia in ea nihil rationibus suis repugnans, aut difforme deprehendit; ita dum a se ipso dissidet totum, & pars parti contraria euadit, his in recti tramite ambulantibus, istis extra orbitam prosilientibus, aliam certe faciem totum nunc induit σύσημα nec eodem amplius



plius frui loco atque ordine poterit, quem disruptere homines malevoli plures. Quocirca diffluet sane totum atque animam efflabit. Rupto vero ordine & coniunctionis vinculo sublato unusquisque sibi restituitur, ita, ut tanquam homines singulares considerentur omnes arbitrioque summæ potestatis merito relinquitur, utruu, soluto unitatis firmamento, animaduertere in singulos, qui malescium participant, an sceleris auctores subiicere, quas meruere, poenis parcereque quodammodo ceteris velit, quibus tum exempla astutiorum prælusere, tum Demagogicæ facundiæ fucus furorem iniecit. Eoque pacto prohibitum censeri minime poterit, si pari auctoritate publicæ tranquillitatis moderator novas residuæ delinquentium multitudini leges prescribat, nec iisdem, quibus olim cumulati erant, priuilegiis frui permittat. Nec enim conquerendi ullus iustum habebit caussam, sed potius latandi copiam insignem, quod non sint omnes funditus excisi, aut priua poena singulatim ac per capita effecti; sed in unum iterum corpus compacti, arctioribus licet cancellis circumscripsum, nullisque priuilegiis munitum.

§. XXVIII.

Ac eaue sis lamenteris: tamen per indirectum innoxios laturos aliquid poenæ, vtut a facinore tam immani animum & manus cohibuere. Nego enim, eos puniri; et si aliquid incommodi sentiunt. Id vero incommodi rationem poenæ non habet. Qui peccant, suo delicto plectuntur; quanquam simul faciunt, ne pristinum systema perduret. Quare Principi nihil videtur tribuendum, praeterquam quod noxia capita nolit impunita, nec, dum iis quodammodo parcit, eodem stare loco sinat: quo sicuti excidunt suo malo; ita fieri nequit, quin & innocentes quadam molestia afficiantur,



tur, & ob sunus vniuersitatis municipique certa ratione pre-
inantur. Princeps autem suo iure viritur, quando sic debellat
maleficos, cum aliam inire viam nequeat, nisi vel noxios
quoscunque perdat, vel omnes a suppicio, quod meruere,
liberet. Si prius, crudelitatis notam vix effugiet : si poste-
rius, nimium fortassis lenis erit & in posterum impune con-
temnetur. Quod si vero temperet iras, nec totam vniuersi-
tatem dispergens aliqua tantum ratione perdite insanientes
mulctet ; ex accidenti demum usu veniet, vt & quietissimi
aliquid iuris amittant : cuius intertrimentum interea non
tani punienti adscribas, quam delinquentibus, qui eiusdem
ciuitatis ac collegii consortes in eandem secum ruinam tra-
hunt : dum videlicet prima subruitur consociatio, ac vel no-
ua arbitrio imperantis surrogatur, vel denique plurima iis
compendia subtrahuntur. Ut enim eodem felicitatis tramite
decurrant fontes, peti nequit ; vtque insontes soli vniuersita-
tem veterem constituant, nec expedit sorte nec fieri etiam
aliquando potest. Igitur patienti animo ferendum, quod
mutari nequit, aut alio concedendum, ni placeat nova con-
ditio ; aliaque expediendæ salutis via ineunda, si acidum
hoc molestumque intolerabile videatur. Vnde haud male
vniuersitatis delicta pestilenti morbo comparantur, quem ali-
qui in ciuitatem secum ferunt suo exitio inuoluentes cete-
ros, ad quos contagium serpit, sani licet antea fuerint, & ab
omni ægritudine mentis doloribusque vacui. Sat est nihil
crudelitatis hac parte residere in Principe, nihilque poenæ
offendi, quæ iratum animum prodant in eos, qui in societa-
tem sceleris nunquam venere. Ab omnibus difficultatibus
vt quis immunis sit, humananam sortem transcendent : nemo
que est, quem non madefaciat imber, incommodetque tem-
pestas



pestas agris fructibusque ceteroquin non inutilis. Idque
multo magis æquo deuorandum animo, quo certius præuideri
ab initio potuere tam acerba, eiusque generis inamœni tur-
bines. Neque enim publicæ rei rectores sodalibus ynius cor-
poris promiserunt, æternaturum istud, et si motibus
ferueat Ilium maiorque sociorum portio officii limites mi-
grauerit. Jura, priuilegia, emolumenta, fructus rem obie-
ctam personamque habilem poscunt; quæ, quia composita
est hoc loco, suo interitu resolutur in illa, ex quibus con-
stituitur, vel aliam metamorphosin suffert.

§. XXIX.

Atque eo pertinent similia & exempla , quibus Grotius Lib. II. cap. XXI. de I. B. & P. illustrat hanc doctrinam. Vix enim fideiussores dixeris multari , aut puniri , qui pecunia sua ob aliorum delicta emunguntur : nec in filios proprie cadit pœna , ad quos , propter patrum nefas , eorum non transiunt fortunæ ; vixque necessum , ut omnes in lauta ac bene aucta parte positi conspiciantur. Multi quippe egent ; nec , quod aufertur nocenti , illoco ex eadem caussa admittitur innoxiiis , vtut spes illis intercipiatur , & occasio ditescendi quadantenus in sumum abeat : idque sine noxa summa potestatis , cui tam leuerum consilium invitæ extorquet plurimorum malitia. Quod de Carolo V. refertur , singulare prorsus est. Hic conjuratos in se inque Neapolitano regno turbas dantes præmiis maestauit , ceteros inanes dimittens. Neque mihi dubium hæret , quin & hoc innocentibus & fide præstantibus acciderit peracerbum : & tamen ferendum erat patienti animo consilium Principis παραδοξος : a quo pacati potius exspectabant clementiæ & liberalitatis documentum , quod interea reapse obtigit κακος πατεστι male agentibus . Iu-

D bent

bent Theologi, ut capistro subdatur ratio in iis, quæ fidem exigunt præcipuam: idem Politici docent, ubi de impetrantium actibus sermo incidit; nec sane in civitatibus mysteria deficiunt, in quæ subiecti quidem desiderant παρακύψαι, quamquam multa interueniunt, quæ prospectum illis intercipiant, & sua eos sorte contentos agere cogant præcipiantue.

§. XXX.

Id sane ambabus manibus largior, ad regnantium officium pertinere, ut quam minimo incommodo afficiantur extra noxam constituti; sed id de cetero eorum religioni ac verecundia est relinquendum, quomodo salutis suæ tuendæ rationes ineant; posteaquam Dii illis imperium dedere, obsequii gloria reliquis relictæ, qui parent. Veruntamen vix diffiteor, habituros insolentes aliquid rationis, si proprii amitterent quidquam, eorumque facultates vel immunitæ, vel prorsus ademptæ fisco manciparentur temere; vel corporali tandem supplicio illi affligerentur: præcipue, cum non definet doctores acerbi, qui a bello argumentum ducant, ac diuini Numinis pœnas ante oculos sibi constituant, omnium ciuium municipumque excidium eo pacto defendantes, non centibus innocentibus iuxta pereuntibus. Eniuero nondum exploratum est, num in ciuitatibus ac gentibus, quas DEVS pessum dedit, non peccauerint omnes? num filii non fuerint eadem labi infecti? ac num denique vel unus fuerit, qui se ab obsequio Domini non auerterit, aut auertisset aliquando? Ipsi enim cognitum censeri debet, quod nos ignoramus; semperque tenendum, eum, qui iustissimus est, & fuit, nihil iniuste fecisse. Principi vero in alia omnia eundum. Non is veris pœnis coercendos statuet, qui nequam commeruere; sed potius secundum acta & probata animad-



animaduersionibus suis modum ponet : nec Hobbesium audit, bellum hic comminiscemt, in quo flagellis, compedibus, ac morte expient omnes insaniam ciuium reorumque, culpa vacantes inueniantur, an secus. Lubricum id genus principium atque a ratione alienum est, in primis, cum hic præponatur, Principem pro tribunali sententiam pronuntiare, non autem bellare cum sibi subditis, quos servari oportet, si incorrupti sint, non occidi, non opprimi ob crima aliena.

§. XXXI.

Vnde difficultates omnes nos euasissē spero : modo notetur, vniuersitates interdum vere & proprie criminis sese obstringere cum collatis consiliis ab officio deficiunt omnes, coque dignis concastigari pœnis; aliquando vero plures quidem in noxa hærere, non autem totum corpus; ideoque discindi quidem istud; sed dum scinditur, peccantes ut singulos considerari inque eos particulatim animaduerti: quod quando sit, non vniuersitas, sed membra plectuntur, vtut multi ex vniuersitate inde aliquid molestiæ capiant, ipsam autem corporis moralis extinctionem non tam pœnam esse ab imperante profectam, quam incommodum ex facto coniuratorum, tum sibimet ipsis nocentium, tum ceteris ex consequenti, qui, quantum in ipsis erat, ab omni labore mentem seruauere castam atque integrām. Quo ipso certius ac securius ad scopum pertingemus, quam si delinquere aliquando impropriæ vniuersitates dicantur, id est, non proprie: sicque a pœnis immunes præstentur, quæ per se sunt a criminis suspicione remotæ: eo insuper incommodo remanente, delinquentes aut plane non puniri, aut, dum impropriæ peccant, impropriis plagis subiici. Plaga vero impro-



pria non est plaga , seu poena : quemadmodum delictum improprium culpa & dolo carens delictum non est, vtut , ob metaphysicum modum loquendi , delicti vox auditur, quæ improprii adiectione in auras rursum, abit : quod germanæ iuris philosophiaæ vix congruit ; eoque clariora & certiora principia sumus sectati.

§. XXXII.

Quibus præmissis ad alia transimus , quæsturi , an vbi vere tota vniuersitas præcipiti cursu in scelus sese dedit, vniuersi & singuli debitibus affligi poenis possint ? Et nihil ambi- go, quin, cum de iure disseritur, fieri id omnino queat. Ne- quicquam enim iniusti hoc loco deprehenditur , si percant omnes, aut magno tuo malo mulcentur, qui manifesto fla- gitio dedere nomen. Vel enim tacite ad poenam probrum- que sese obligant subiecti , vel expressis verbis , ceu ciues Nepesini , de quibus apud R. Fabrettum occurrit inscriptio menoratu digna , semibarbaro & Longobardico licet filio conscripta :

Anno Domini Mill. C. XXXI. temporibus Ana- cleti II. PP. Mens. Iul. indic. IX. Nepesini mi- lites nec non & consules firmaverunt sacra- mento vt si quis eorum nostram vult fran- gere societatem de omni honore atque di- gnitate Domino volente cum suis sequacib. sit electus , & insuper cum Iuda & Caypha atque Pylato habeat portionem. Item tur- pissimam sustineat mortem vt Galeonem qui suos tradidit socios & non eius sit me- memoria



moria sed in asella (c) retrorsum sedeat & caudam in manu teneat.

§. XXXIII.

Sed aliud prorsus est *έντυπα*, an civilis prudentia regulis tanta conueniat severitas, nempe ut parcendum sit nulli? Quod non putat Seneca (d) nec nos quoque. *Frequens*, inquit, *vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat: voluntas ante seuerendi, quam causa deficiat.* Alioquin quemadmodum praeceps arbores plurimis ramis repullulant, & multa satorum genera ut densiora surgant, reciduntur: ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Tollantur igitur papauerum capita, auctoresque nefarii facinoris sanguine luant, quod scelere coxere suo. Vnde sapiens Gallorum Regis Ludouici XIII. refertur dictum a Grammondo *historiarum Lib. IX.* qui rogatus, de Rupellanorum ac militum fortuna quid cuperet statutum? respondit: *Saluam fore utriusque liber-*

D 3

(c) Bene multa collegit laudatissimus Fabretti de hoc opprobrio a Græcis ad Italos deriuato, vt asino insidentes facie caudæ obuersa in ignominiosum veluti triumphum hostes ducerentur. Nec is omittit, quod de Beatrice Augusta Friderici Aenobarbi coniuge asioæ a Mediolanensibus imposta ac caudam pro freno gerente circumfertur: quod dedecus interea non impune stetisset, diruta in vindictam & solo æquata vrbe a Friderico uxoris ludibrium vlciscente. Sed confutavit hanc fabulam perillistris Vir, Dominus de Bunau, nobilium decus, in historia Friderici Barbarossa Teutonico idiomate eleganissime exposita, traditionem istam nullo firmari classico testimonio luculenter demonstrans.

(d) de Clementia I. cap. 8.



libertatem, vitam & bona; paucorum capite omnium vitam redimendam, et si unum omnium crimensit; non decimandas, ut olim, legiones, fortuna vetrice sepe in immeritos; non plectendos militiae prefectos, quos velut seditionum autores leges mancipant poenæ: quatuor capitibus irato Regi titandum, reliqua salua fore, si factioni renunciabitur. Idque est, quod Cicero in oratione pro Cœlentio cap. 47. expressit: poenam sic ad paucos, terrorem ad omnes peruenturum. Plura non addo, quam cœnes prudentiae civilis libri eius generis obseruationibus atque exemplis pleni sint.

§. XXXIV.

Vtilius est & magis querri dignum, quid de illa sortitio-
ne militum ac noriorum sit sentendum, de qua autores ve-
teres faciunt mentionem. Etsi enim non apud Romanos so-
lum, sed & Græcos illa militum sortitio locum habuit, nec
istam quoque Tullius in adducta Oratione pro Cœlentio im-
probar; non puto tamen, eum modum in delictis vniuersi-
tatis tuto semper adhiberi. Evidem non me mouet pre-
caria quotundam ratio, alterum altero in tanta insanien-
tium multitudine videri nocentiorem, eoque iniquum vide-
ri par in impaci culpa supplicium. Sufficit namque, nemini-
nem eorum esse innocentem, tametsi dispar criminis gradus
occurrit. Nec enim semper necesse est, vt sic examissim
militia numero respondeat poenæ gradus: quod supplicium
suribus dictari solitum luculenter ostendit, vt de homicidio
nihil afferam, in quo plectendo improbitas quidem & fraus,
non autem eiusdem maior minorue quantitas accurate sem-
per expeditur.

§. XXXV.

Multo igitur sapientius & cautius I. H. Bœclerus ad Ta-
citi



ceti annal. lib. I. c. IX. hac in re versatur, opinatus, non apparere continue, omnes reuera in crimen hafisse. Multi sape nolunt peccare, sed repugnare furentibus non audent; nec tamen fieri semper potest, ut innocentiam demonstrent suam, quia silentio presserunt displicentiam ex metu in vi-
rum constantissimum cadente; eoque facillime contingere solet, vt, dum vrnæ committitur decisio, innocentissimus quisque agatur in surcam. Quod Romanis gentilibus placuit, ex inolita superstitione est, exsistantibus, non laturam Deorum prouidentiam, ut fors fortret noxa vacantem: quod neque Christiani, neque homines ratione possentes credent hodie: cum decimatio fortuita non sit modus definiendi capi-
tales causas, nec Deus sortientibus tanquam ex machina aduenire soleat: quamvis centies inclametur, militari in toro non ommnia resecari ad vinum, habereque onus magnum exemplum aliquid ex iniquo. Adiicit enim Forstnerus ad lib. III. Annal. Tac. cap. XXI. SED istam politicam credo, non agnoscet mitis magister ac Dominus noster Iesus Christus. Quin immo apud Tacitum Annal. XIV. c. 44. haud temere rogatur: num ex fuso exercitu, cum decimus quisque fuisse (e) feriatur,
etiam strenui sortiuntur? Qua C. Cassii dubitatio magis me incitat, ne in crimen a multitudine commisso illam decima-
tionem assensu meo firinem: nisi quidem omnes extra con-
troversiam crimen sese commaculauerint. Et tun permitto
cum Boeclero, cuius hic rectum & solidum iudicium est, va-
lere illud Cassianum: *Mixturam iniquitatis in minimis, que
vitari*

(e) Vocatur aliquoquin hoc supplicium capitale *fusuarium*, de quo Lipsius aliisque de re militari Romanorum Scriptores. Vnde Tacitus FVSTE inquit FERITVR, seu cæditur. Conferatur Su-
stermannus de panis militaribus docte differens cap. IX.



vitari non potuit, vilitate publica rependi. Quam mixtum e præcedenti periodo in f. exponas velim. Vnde tum iustius, tum consultius erit iterum, vt in architectos sceleris animaduertatur. Quod Livius lib. XXVIII. c. 26. ipsis placuisse Romanis adnotat, deliberantibus, vtrum in capita seditionis excandescent, an plurimum suppicio defectionem vindicarent? Et vicit, inquit, sententia lenior, vt onde orta culpa esset, ibi poena consisteret, idque ad multitudinis castigationem satis esse.

§. XXXVI.

Qui seueriores hic sese ostendunt, & Principibus calidiora consilia subministrant, non tam fortes sunt, quam omnium timidissimi. In hoc enim crudelium hominum certissima nota offenditur, vt, quia nimium metuunt, saeuiant, nec tutos existiment sese, nisi cadant omnes, qui odiosas sibi suspiciones adulere. Inde est, quod Theodosium magnum ceu meticulo sum hac parte depingat Gallorum disertissimus Flechierus septem circiter millia Thessalonicensium ciuium seu exemplo occidi iubentem; quemadmodum Plutarchus Syllam sanguinarium urbis Prænestis ciues omnes cruento suppicio tollentem aliaque immania patrante m tanquam imbellem & ad quosvis inanes sonos pauidum describit.

§. XXXVII.

Dices: nos nimium lenes, ac securos, nec rerum ciuium peritos videri: exasperandas aliquando poenas, ne quis patriæ sui ipsius, liberorum, ac totius Reipublicæ ignave obliuiscatur. Non ignoro hoc: sed vix eum mitem, ne dum lenem ultra modum puto appellandum, qui capita factionis suadet damnanda; nec, vt dissoluatur societas, vt auferantur priuilegia, vt subruantur muri, vt inducatur pro re nata
aratum,



aratum, intercedit, multo minus ut delinquentes omnes
ære mulctentur, repugnat. At perperam nobis virtio verti-
tur, quod innoxios opprimi nolimus, nec aleæ eorum vi-
tam committendam, nec cum Couarruuia (f) aliisque pecu-
nia saltem, opibus, fortunisque priuandos statuamus, qui ex-
tra noxiā sunt positi. Nam & mulcta pœna est, quæ me-
ritum poscit. Quod si ipsimet ad patriæ, vel collegii liber-
tatem ac priuilegia redimenda auri argenteique quoddam pon-
dus exsoluere cupiant, nemo impediet, nec pro iniusto ac
multatatio ære habebit.

§. XXXVIII.

Interea vix diffiteor, Pontifices hac parte æquiores vide-
ri, quam iuris civilis sacerdotes. Nec enim prælati factum
ecclesiæ iuribus derogat c. 5. X. de in integr. restit. Nec ob
vniuersitatis peccatum diris omnes deuouentur, aut a com-
munione ecclesiæ separantur, cum mulieres, pueri & infan-
tes in ea sint quibus nihil imputari culpæ potest. Saltem
hæc Innocentii IV. ratio, quæ cap. 5. Lib. VI. de sent. excomm.
adducitur, sat prægnans est, a Brunnemanno, (g) quoque
haud temere approbata. Absurdum quippe est, cum dolo-
re amputari eam corporis partem, quæ non computruit,
vt loquitur Ambrosius lib. II. de officiis ministrorum cap. 17.
estque falsum de cetero Pontifices statuisse vnquam, & vs-
quam, vniuersitatem non delinquere. Potius hoc verum
est, exstimassem eos, aliquando vsu venire, vt ne vniuersis
& singulis infligi pœna, multo minus adtribui omnibus au-
dacia & veneno tincta malignitas possit. Vnde valde vereor,

E

vt

(f) Variar. Ref. Lib. II. cap. 8.

(g) ad authent. l. 13 C. de Episcop. & Cler.



ut Gœddeus (^b) recte rationes subducat, quando Innocentium III. cap. 53. X. de sent. excommunicat, cu contraeuntem sententia vulgari adducit. Ipsemet etenim satetur tandem, eundem Pontificem pecuniaria pœnæ vniuersitatem peccantem subiicere, non autem criminali: ex quo liquet, non posse illum statuere, communicatam a delicto immunem esse. At rursus falso est, Innocentium eius esse capituli auctorem, cum sit Honorius III. Deinde nec hoc veritati congruit, criminaliter, aut etiam pecuniariter, Præsulem Romanum in vniuersitatem statuisse animaduertendum, quando quidem consiliarios & officiales ciuitatis Pisana tantum fulmine sacro feriendos censet, siquidem priuilegiis ecclesiæ contraria statuta peruvicaci ratione tueri satagant. Ex quo constat, nunquam Honorio in mentem venisse, tota ut Republica anathematis vinculo innodaretur. Cuius prospicientia exempla non sane laude carerent, si eodem tempore decretis suis institisset Romani Episcopi.

§. XXXIX.

Ceterum & istud merito negatur, quod Reinoldus Cericke Gedanensis *Comment. de priuilegiis* cap. 13. Innocentio III. imputat, ac si is cap. 12. X. de pœnis paroecianos Vicentinae ecclesiæ omnes feudis ac beneficiis censuerit priuandos. Diuersum ex integrâ epistola, quæ LVII. est Librissimi innotescit. Solos enim interfatores & cædis consciros eorumque heredes sic ille legitur coercedos præcepisse, quod nec feudorum iuri repugnat: quanquam alioquin id indubitum prorsus, ciuitatem, quæ in Episcopum insurgit, eumque

(b) De verbis. signif. I. 17.



que nec iudicari, episcopali sede mulctari, quod genus pœnæ ex facto subiit Scyllacenorū vrbis, quæ est in ora Calabriæ
 (i) can. 25. cauſſ. XXV. quæſt. VI. Neque mihi dubium hæret, quin id e principiis iuris ecclesiastici defendi utcunq; queat: cum certe beneficium sit, ciuitatem habere episcopum, eumque residere in illa: præſulem vero interficere non solum maximum crimen, sed & dignum animaduersione ad posteros durante creditum semper fuit. Etsi namque mulieres forte, infantes nonnullique e toto cœtu a facinore tam immani immunes persistunt; tamen *quidam* illi vix possunt dilucide cognosci: infantes & mulieres vero sicuti nec pri-mario loco, nec princeps cauſsa sunt quare ciuitas priuilegiis ornetur; ita, vbi illa auferuntur ex iustis cauſsis, itidem illi respici non solent: multo minus apti videntur, qui dignitatem & honores sustineant, vel ciuitatem repræſentent, quæ non sine beneficio summi Pontificis sedis episcopalis prærogatiuo iure fuit donata. Itaque quidquid illi amittere videntur, ad τυμβεβητα pertinet, quæ a quo omnes animo ferant oportet; præterim, cum non tam in innoxios dirigatur pœna, quam ceteros, qui in criminis societatem venere. Accedit, quod tali ciuitati in Præſules suos ſauienti non desint VISITATORES episcopi, nec alii flamines, nec omnis penitus ſpes præscindatur, recuperandi pristinum decus, ſicubi resipicit, ac laudandis illa factis Pontificis

E 2

ſauo-

(i) Vide, quæ Ferdinandus Vghelli de Episcopis Squillaci, seu Scyllacensibus collegit *Italia Sacra* Tom. IX edit. secundæ f. 422. Patet enim hinc, obtigisse huic iterum ciuitati Episcopos, eoque restitutum, quod amiserat, decus. Habent etiam idem Vghelli & editor Colleti in notis adiectis, quæ ad cauſam nostram faciunt p. 423. seq.



fauorem, ac nouum beneficium mereatur, melioresque ciues in sinu souere suo incipiat. Saltem ea ratione Ioannes II. Casario Arelatensi epist. I. rescripsit, Contuinelioso Episcopo Regensi deiecto: *In cuius, inquit, locum Visitatorem constituite, donec proprium ecclesia, quæ eius est evacuata sacerdotio, mereri valeat sacerdotem.*

§. XL.

Non puto, me aberraturum a ianua, si ausim tueri, Pontificem Scyllacenorum proteruiam eo modo coercuisse in sacris, quo Romani receptam castigauere Capuam in civilibus, de qua Liuius (*k*) significantissime: *Ceterum habitari tantum tanquam urbem Capuam frequentarique placuit, corpus nullum ciuitatis, nec senatus, nec plebis concilium nec magistratus est, sine consilio publico, sine imperio multitudinem, nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore, Praefectum ad iura reddenda ab Roma quotannis miseros sanxerunt Patres.* Huiusmodi præfatis comparandus est visitator Pontificis in vrbe Scyllacenorum, aut alia, quæ sedis episcopalnis honore exiuitur. Trunca est talis ecclesia, sine senatu, sine moderatore, sine imperio. Quod quanquam acerbum accidat pluribus, iisque cum maxime, qui nulli dolo obnoxii fuere; puto tamen hic valitaram demum Grotii ac Hertii rationem, quam alia sub *χρήσει* reiecimus supra, nihil proprie amittere singulos, quandoquidem ea, quæ vniuersitatis sunt, non pertineant ad singulos, quemadmodum, quæ singulorum sunt, non protinus vniuersitati censemantur propria.

§. LXI.

Sed istud vero nullo iuris colore defendi potest, puniri oppi-

(*k*) Histor. Lib. XXVI c. 57.



oppida atque vniuersitates, vbi, qui deliquerent, non amplius superant. Quamuis etenim vniuersitas, post multorum fætulorum decursum, maneat vniuersitas, quia ex distantibus partibus constat, quarum vna sine dissolutione totius perpeti iunctura alteri succedit, eandemque nihilo minus speciem seruet; non est tamen hæcce vnitas eo trahenda temere, vt, dum omnes diem suum obiere, qui a recti tramite sese auerterant, in succendentium præiudicium singatur delicti *meritis* ac meritum, quod non est querendum in toto, sed membris, quæ hac parte semper considerantur seorsum. (1) At illa, quæ nunc animo oculisque obseruantur, non modo nullum verum crimen commisere; sed & ne ficta quidem infamia conflagrant. Vbi vero peccatum deficit, meritum vanescit: vbi nullum meritum, nulla poena cogitatur, ac multo minus infligitur. Quocirca vani omnes sunt, qui, quod ciuitates dicuntur immortales, æterna in eas odia agitanda, nec ullo tempore extingui earum delicta, sibi persuadent; furenti Alexandro hac parte similes, qui, dum Persas oppugnabat, antiquas de illorum in Græcos ornes odio fabulas repetitum ibat, varia iminiscens, quæ Parmenioni, multum sapientiori, fastidium mouebat; sicuti Grotius retulit ex Arriano Lib. II. de I. B. § P. cap. XXI. §. 8. Rectius incedunt, qui iræ & cupiditatibus suis modum figunt, & præsentes caussas se etari veterum iniuriarum obliuiscuntur; in primis cum poenæ & delicta non sic communicentur cum post futuri sæculi ho-

E 3

mini-

(1) Contrarium persuaserunt multis locorum legalium scriptores, in quibus Eberhardus familiam dicit. Hi audacter statuerunt, non esse absurdum si a contractuum & pactorum, quæ ineunt vniuersitates, communione argumentum ducatur ad vniatem in delinquendo: in quo latet ψεῦδος.



minibus, atque præmia & beneficia continuatæ virtutis indicæ. Quæ omnia sicuti Grotius luculenter exposuit; ita pluribus afferendis hoc loco merito supersedemus: id solum addentes, eadem mentis ægritudine aborare, qui Germanorum in Romanos imperium a Cæsarîs, Drusi aliorumque Romanorum Imperatorum in Teutonia populos iniuriis arcessunt, eoque feruitute & sanguine Italîs Quiritibusque recentiori ætate iure parentatum ingeminant. Longe enim alia peritioribus cognita sunt, quæ ansam dedere Francis Germanisque, ut Langobardorum regna euerterent, & Romani imperii habendas capesserent. Non sicut Adami peccatum totum genus humanum contagio suo infecit, inque eo omnes deliquerunt, ctiam successores in oppidis, societatibus ac collegiis turpia patrarunt, cum iura abrumperent maiores, atavi, abavi, & avi. Potius immanis hæc est & stulta persuasio, vt, quia claudi incessanter patres, ac lumina amiserunt, articulis sedent posteri colligatis, orbenturque oculis, ac sine sua culpa seris lacerentur pœnis. Ita enim primum bonum in vniuersitate foret, NON NASCI, secundum, CITIVS MORI, & tanquam ex incendio delendæ fortunæ effugere: siquidem omnes in vniuersitate, oppidis atque vniuersitatibus successores materia deberent esse, per quam diffunderent se mala maiorum meliusque, credo, fuisset, si nihil vñquam muneris accepissent sequioris ætatis senatorès, quam ut nunc ob antecessorum sacrilegiam impietatem, & mores peruerbos cruciatibus innocentium, aut auri pondere extorto pasceretur, nescio, quis, saevorumque dentium mordacitate laniarentur insontium ciuium corpora & collegia.

§. XLII.

Sed linquamus tam illepida, & inter sobrios baccari iniustas



itas animas sinamus, examinaturi quæstionem magis necessariam: an videlicet, morte deletis, qui peccauerant, sua recuperet bona atque amissa iura vniuersitas? Et videtur id primo obtutu. At certum habemus, id quod extinctum, non reuiscere, nisi hoc dictum promissumue. Sed nihil fings dictum, non igitur ius habebunt petendi amissa per se, qui nunc sustinent conficiuntque personam compositam, hoc est, vniuersitatem, aut etiam tanquam multitudo sine societate considerantur adhuc. Quidquid spei superest, a nouo beneficio sumimæ potestatis pendebit. Nouum autem sicuti non est verus; ita quod accipiunt, recenti Principis supremi benignitati acceptum erit ferendum. Quod e feudorum iure de agnatis in medium fertur, ad rem non facit. Feudum ad liberos velut hereditas transit; qui, si deliquit Pater, ac prædia, & terras propterea amisit, nil certe inueniunt, quod suo adjungere patrimonio possint. Agnati vero caussam a deiectis propter infidelitatem non habent; sed aliunde accipiunt, quidquid illis, extincta familia delirante, obtigit: ut taceam, eos, qui sunt de familia, non referre collegii, aut sodalitatis vnius πρόσωπον.

§. XLIII.

Corpus vero, quod mortem subiit, non existere amplius merito censetur. Nec reprehendendus est Cneus Piso, quod Athenienses tot clatribus extinctos non amplius ATHENIENSES, sed colluumiem nationum appellauit: (m) quamuis in hoc sibi ipsi & ante dictis repugnantia cumularet: hos esse Mithridatis aduersus Sullam, Antonii aduersus diuum Augustum socios: etiam vetera obiectans, que in Macedones imprespere, violen-

(m) Tacitus Annal. Lib. II. cap. 55. n. 1.



lentur in suos fecissent. Quomodo namque hæc illis expor-
brare potis erat Pilo, ni veteres essent Athenienses? quod iam
animaduertit Grotius *Lib. II. de I. P. & Pac. cap. IX.* & Ame-
lotus ad *b. l.* resque eo redit, an vnquam ad incitas ita re-
dacta fuerit Atheniensium respublica, ut exspirauerit peni-
tus? quod iam nostrum non est excutere.

§. XLIV.

Sed sumamus ciuitatem, aut vniuersitatem, in qua cor-
poris ratio seu perfecta iuris communitas sit sublata, vel mem-
bra hinc illinc dispersa; singentes insuper, restorere illam &
summæ potestatis fauore ita recreari, vt corpus esse iterum
incipiat, imaginemque reipublicæ recipiat, eeu de Capua
memorat Velleius Paterculus. Quanquam enim Velleius *lib. II. cap. 44.* ampigue loquitur, ita vt critici certent, quid sit:
IUS AB HIS restitutum post annos circiter CLII. quam bello Pu-
nico ab Romanis Capua in formam praefecturæ redacta erat; non
puto tamen, ea in re diu esse sudandum, quum de Cæsare &
Pompeio Historicus verba fecerit, HOC fualore, vt ager Cam-
panus plebi diuidetur, ILLO legislatore. Quocirca AB
HIS merito ius Caput restitutum dicitur, ins ciuitatis, quod
olim amitterat; vt recte arguunt Isaacus Vossius cum Nicolao
Heinslio, *ius*, quo ante proditam Hannibali urbem fuerat. Et
neino somniabit interea, Capuanos iure suo, posteaqua in pro-
genies proditorum euanuit, recuperasse adempta. Potius pa-
tescit, tecille coloniam eo deductam, vt nouum beneficium
iis impertirent Cæsar Pompeiusque affinitate arctius tum tem-
poris coniuncti; nec improbabile, plura pedetentim ab Impe-
ratoribus fuisse adiecta priuilegia noua.

§. XLV.

Simili ratione Spartianus in *Seuero cap. XVII.* commemo-
ravit



rasse dicitur, hunc Imperatorem Alexandrinis, ius Buleutarum dedisse, quod publicum fuisset consilium, diu iis ademptum. Sed dicitur hoc a Barheyaco longiori paraphraſi Grotii notam exponente. Saltem nec Spartanus id prodit, nec Grotius ita Spartanum intelligit. Tale enim consilium nunquam habuere Alexandrini, eoque nunquam amisere. Ait Spartanus: Deinde Alexandrinis ius Buletarum dedit; qui sine publico consilio, ITA VT SVB REGIBVS ante virebant, uno IVDICE contenti, quem Cesar dedisset. Itaque ut sub Regibus uno iudice agebant contenti, ita sub Romanis usque ad Septimum Seuerum, quem hi appellauere juridicum. Solus Reinesius Spartanum refellit; eumque ignorasse scribit, (n) Alexandrinos olim indigenam magistratum habuisse αρχηθματη̄ dictum: cui Buleutas adiecerit demum Seuerus, non autem ut decuriones, seu senatores in participatum cum Iuridico venirent. Sed valde vereor, ne & Reinesius a veritate declinet. Nusquam enim legitur, ut Seueri vel defuisse iuridicum Alexandriæ, vel præter Iuridicum, proprium eos & indigenam magistratum habuisse quem Iuridici nomine perperam insigniuitset Spartanus, qui fuisset Iudex Ægyptius. Vnde adhuc valde dubium, quid muneris gesserit ille αρχηθματη̄. Et putem, si uisce eum defensorem patriæ, agentem & inducentem lites, voce libera coinmoditates Alexandriæ ciuitatis tuerent: a qua conjectura non abhorrent, quæ Jacobus Gothofredus lib. XII. C. Theod. ad l. 189. 190. 192. 193. illustrandas adulxit inque primis circa finem e Luciano adnotauit, quem videsis. Quibus si addideris Dioni Cassio memorata Lib. LI. p. 457. ed. Leunet. Reinesio vix præbebis adsensum; de cuius adsertis iam dubi-

F

tauit

(n) Inscript. Classe II. n. XXVI.



tauit Nodtius ad tit. ff. de Iuridico Alexandriae. Itaque alia municipiorum & vniuersitatum exempla sunt conquirenda, quibus amissa iura sint redditia, aut noua indulta; qualia copiose tum e veteri historiatum recentiori suppeditat laudatus Curike comment. de priuileg. cap. XIII.

§. XLVI.

Verum quid? si iniuste damnata vniuersitas, nec audita sit vñquam, sed præcipiti consilio omnibus spoliata priuilegiis ac iuribus, intercepto simul, qui eos colligabat spiritu; Et nemo futurus est paullo humanior, qui neget, nihil illi affricari macula, nec quidquam iure videri creptum, in se nulla sit sententia, an innoxia prorsus id genus mystica persona & a crimine immunis, cuius causa est interea poenæ serendæ ad dicta. Nec dubito, quin illa tum pro tribunali supremi Numinis, tum hominum quoque saniorum iudicio incolumis persistat, nec vlla indulgentia, aut absolutione indigeat, cum nulla ratione ea se se sententia intelligat obligatam: præser-
tim si error, vt aiunt, intolerabilis subsit, aut vitium insana-
bile intercurrat certum. Sed fieri tamen sape potest ac solet,
ut in foro exteriori nec omnibus tale vitium illico innotescat,
nec satis tutum videatur, vt a necessitate parendi proprio se-
se ausu liberet ciuitas; &, condemnatione non aduenta, pri-
stina iura continuet. Hinc multo consukius, vt ad superio-
rem iudicem eatur, præserim cum pro Principe iuris speciem
non prorsus negligente præsumtio pugnet, nihil eum fecisse
iniuste, ac contra fas. Quod si vero superior non sit, tum
quidem vel scenda est iniqüitas sorti animo, vel confugien-
dum ad preces; eoque pacto huic rei accommodari haud in-
epit potest, quod Canonici iuris magistri inculcant: *Senten-
cia passoris sine iusta, sine iniusta, timenda est.* Quod eo inte-
rca



rea sensu intelligas caue, ac si iniusta sententia aliquid efficien-
tia & solidi in iure contineret. Id enim nec *Canonista* volunt;
qui hoc axioma e Gregorii Magni homiliis didicere; probe
gnari, decretum ab omni iure vacuum, atque ipsum *excom-
municatiois* fulnem in innocentes ciaculatum neminem ser-
re, aut vincire; sed iuste tamen metui, quia a potentiori pro-
latum & emissum, cui sine summo offendiculo ac manifesto
pietatis impedimento obsequium negare nemo potest. Et fac
vero, restitui demum, postquam deseruit Principis ira, ini-
quam sententiam passos ex capite iustitiae, & non erit dubi-
tandum, quin sint cum plenissimo effectu restituti; & hono-
res, & bona, & iura prærogativa omnia recuperent, quia inno-
centiam suam liquido demonstrarunt; idque, quod præcipiti-
mente decretum, nullius certe momenti atque efficientia suit.
Cumque alias disputent Consulti, an alienata iam a fisco inquit
alium translata primis dominis reddi oporteat; hic profecto
silebunt, eum causa distractionis ab initio non considererit,
totumque delictum, ob quod extrema subiit miseranda uni-
uersitas, in commentarius reponendum sit. Quocirca & fru-
ctus restituentur cum re, aut pretium in fiscum ex alienatione
redactum, siquidem tolli ab altero sine magno dispendio in-
commodoque nequeat. Alioquin enim perpetam accipiens
de iure quæsito garret sibi non auferendo; cum pro resti-
tutis ipsa iustitia verba faciat; nec illi sine causa retinere li-
ceat, quod alteri iniustissima ratione est ademptum: latius
hæc per sequente Peregrino de iure fisci Lib. V. tit. II. n. 34 seq.
itemque Francisco Sarmiento Hispano ad legem Gallus §. G
quid si tantum n. 68.

§. XLVII.

Quod secus est in restitutione, quæ sit ex mera benigni-

F. 2

itate



itate & gratia. Tum enim neque fructus pensabuntur sentiam passis quia ex bonis prouenere, qua iure abstulerat fiscus ; neque alienata redditur ; quia facultatem alienandi habuit Princeps punito & accipere alter potuit bona fide : nisi quidem largissimam restitutio*nem* legem dixerit ; quod interea non presumitur fecisse , sed probandum est utique.

§. XLVIII.

Eo probato , plenissime rursum in sede sua collocatur communitas , cunctaque retribuuntur illi atque adnumerantur , perinde ac si iustitia ratio Principem impulisset , ut redhibitionem decerneret . Quanquam enim alienata bona restituenda non videntur , ne principale beneficium aliis officiat , & ius illis quasitum eripiat , per quos distributa sunt res comissa ; credo tamen , licere id summa potestati ex causa utilitatis publica , (o) ob quam modo amplissimo in integrum restituit civitatem , cui olim erat iratus . Nec haec actiones quoque in personam huiusmodi universitati saluas esse , quas forte remisit debitoribus fiscus , ad quem ex illico delicto peruenire iura , copia , facultates & credita universa . Quam positionem multi quidem negare solent doctores , rati , iura impersonam , & obligationes omnes eo momento videri extincta , cum capite minuitur tota *κομόπολις* , seu communitas municipalis . Sed sicuti iura in rem ipsum patentur restitui ; ita afferendum est argumentum cogens , quare , Principis facto interueniente , reuiuiscere nequeat ius crediti ? Ponimus enim , ex causa utilitatis publicae tolli posse ius quasitum ab illo , cui donatum , qui de lucro certat .

Quod

(o) H. Zoesius ad ff. de sentent. pass. Et restit. n. 7. Gaius de P. P. L. II. c. f. n. 24. Sarmiento l. c. Peregrinus.



Quod si vero ex iure, merito ac lege redintegrantur vniuersa, eo minores restant scrupuli, repeti quoque creditum posse, quod, tabulis redditis, acceptum debitori tulit princeps Magistratus, præcipue, si statuatur, illis esse remissionem factam, qui sub eius potestate & iurisdictione vitam viuunt. Sed singas, externæ Reipublicæ, aut eius ciui liberationem obtigisse; & iterum censeo, si iure agatur, non vi, simulque rationem audiant debitores, reuiuiscere hoc casu obligacionem, cum sine cauiss liberalis non solum fuerit donator, sed & de re & iure alieno pro arbitrio nec potuerit, nec voluerit esse largus, cum damnati commiserint nihil, ob quod priuarentur credito. Aliud foret, si municipium aliquid fuisseisset poena dignum. Tum enim merito occinerent donatori: Tu ius habuisti ex municipio delicto, ut eorum bona, copias & actiones ad fiscum reuocares. Reuocasti: quodque tuuin erat, ac tibi debuimus, qui in locum municipii huiusque ius venisti, nobis acceptum tulisti; nihil restituamus igitur. Non tibi, quia a Te cauissam habemus, non sodalibus municipii, quia merito eos omnibus rebus & actionibus exuisti. Amissa non amplius pertinuere ad credidores nostros, sed ad te; qui, si poeniteat te facti, atque in veteri sede afflitos collocandos censeas, alio remunerare illos modo ac pensare aliquid ex alio poteris. Utilitatis publicæ color nos vix tangit. Quod tibi vtile, nobis molestum accidit: & imperium autem eminens, ex quo ciues tuos compellere ad restituendum potis es, nos non adtinget: nihilque hac parte ad rem faciet, nos de lucro captando certare, ac tuos de damno vitando: quandoquidem primo damnum, quod quis sua culpa sentit, damnum non est; deinde, si fortean pro damno habeas, quod amisit municipium, tu,

F 3

qua-



quæsumus, id renumeres illi. Si reparabuntur cuncta; nec nostra tandem intererit, ut & quæsum temporum præteriorum resarcias. Nos autem nihil reddemus semel punitis; quæ bona fide & iusto titulo tuo accepimus arbitratu. An vnuuenire & offerri iurium peritis id genus exemplum pos- sit, illis, credo, incertum, aut ambiguum vix videbitur, qui sitem inter Thebanos & Thessalos, de qua Quintilianus *L. V. Inst. cap. X.* mentionem facit, suis ponderibus exigunt. Reddidit enim hisce Alexander tabulas crediti, cum euer- tisset Thebas; constatque plus satis, summam debiti The- banos demum a Thessalis iuisse reperitum. Saltem ut simi- lis contingat casus, impossibile, aut potius infinitum non est.

§. XLIX.

Cum quo eleganti themate si nostræ dissertationi vlti-
mam imponeremus inanum, nemo fortassis id nobis versurus
esser vitio; in primis, quum incognitum nulli sit, quæ acad-
emicis exercitiis constituta sit meta. Sed iuuat vnum adhuc
excutere quæsumum. Qui poena affici debent, præsentes non
solum sint, sed & libertatem defendendi se habeant oportet.
Quomodo igitur profortunis suis loquatur vniuersitas, & per
quem defensionis sua præsidia explicabit? Cum enim illa ad
vere delinquendum apta sit, coque criminale negotium ei-
dem intendi queat, intendaturque saepius; atque vniuersitas
interea per se in iudicio stare neutquam soleat, nec, etiam si
omnes comparere cupiant, possit; in criminalibus causis ve-
ro, si poena in relegationem, aut fustigationem definit, aut
etiam capitis periculum sceleris sociis impendeat, procura-
tor reiiciatur; perplexa & anceps oriri videtur controversia
quid in tanta legum ac iuris collisione sit statuendum? Syn-
dicus namque, vt cunque consideretur, Procuratoris sane vi-
cem



icem subit: ac veluti hic res hominum singularium in iudicio curat; ita ille personæ compositæ negotia expedit, & pro vniuersitate sua in ius vocat, & vocatur, iudiciuim postulat, & paritur, suæque communictatis sodales vmbone suo protegit. At quuni accusationis procella culpatos peruertere possit, efficique interea nequeat, vt innocens afficiatur supplicio, & Syndicus autem ab omni contracta labe immunitus censeatur, sive exsecutio sententiaz certo deficiat, ceu in procuratore innoxio; ab hoc sane ad alterum consecutio necit minime spernenda, nimurum, ne admittatur Syndicus. Sed peruvulgata tamen Doctorum opinio est, Syndicum in capitali fraude & criminis ab vniuersitate auertendo sine discriminis adhiberi, & nunquam fere excludi. Cuius rei ratio in eo potissimum cubare existimat, quod oppida, municipia, collegia non sint de fuga suspecta; nec etiam possibile iuris sensu, vt præsentes compareant vniuersi: ideoque, quod in priuatis rebus personis que prohibitum, in publicis & communibus sodalitii caussis credetur licitum. Ex quo confit, vt precario Galli (p) aliorumque argumento, quo vtuntur, neutiquam indigeamus, quod in vniuersitate non occurrat capital, aut pœna corporis acerba. Est enim hoc, si summum contueamur ius, perspicue fallum; cum sane in omnes animaduertere Princeps possit, qui uno animo nefarium facinus patravere. Quod iam Lautderbachius de Syndicis §. LXII. obseruauit dissentientesque in viam, a qua declinant, reduxit; monens simul, mandatum hic a Pragmaticis requiri speciale: quod eti legibus non probatur,

(p) de P. P. Lib. I. cap. X. n. II.



batur, veut largiter in medium adducuntur ; est tamen id rationi satis conueniens, dignumque, quod attendatur, utileque, ne negligatur. Cumque transmissio actorum in mores irrepererit, ac Princeps in propria caussa sibi utilitates vix soleat posthabere, idcirco non erit reprehendendus, multo minus irato vultu contuendus Syndicus, si, quod iura permittunt, beneficium suis quoque impetrandum urget
idem. Plura nunc non habeo dicere in tanta tem-
poris ac chartae penuria. Manum ergo
de tabula.

F I N I S.



155053

8

AB 155053

KL 468 rd





Farbkarte #13



B.I.G.

D. B. V.

DE

VERSITATE
QVENTE
VE POENIS

PVTABIT

PRÆSIDE

HIERONYMO
LINGIO ICT.

TENTISSIMO BORVSSIAE REGI
S ET ECCLESIASTICIS, IVRIVM
ORDINARIO h. c. DECANO
S NOVEMBRIS M DCC XXIV.

L. Q. C.

LEGIS DOCTORIS
SEQVENDIS
S PHILIPPVS STOLL
TTAV. LVS.

MAGDEBURGICAE,
ANI HILLIGERI, Acad. Typogr.
DCC XXXIV.